stini Mentem perscrutandam, magisque salutares veritates evelandas tuis celeberrimis scriptis excitasti? Quin etiam multa alia me, ut egregio, & immortali tuo nomini hoc Opus dedicem, hortantur, & invitant: Etenim Augustini doctrinam interpretans, Te ut Patronum, ac Mæcenatem salutare cogebar, dum & maximis ingenij viribus, suavissima morum integritate, masculæ eloquentiæ robore, & permirabili omnigenæ eruditionis ornamento singulares Augustini dotes animi tui magnitudine complecteris, Augustinum insigniter æmularis, cuius acerrimus Vindex es, ac Filius, cujusq; augusto nomine decorata, ampliſſima S.R.E. Purpura exornaris, ut verè Augustinianam Sapientiam, pietatem, ac miram judicij vim undecunque redolere totius Orbis admiratione videaris. Vale Magne Literarum Arbiter, atque Opus hoc pluribus tibi nominibus obstrictum fovere præsidio tegere, & ab inimicorum injuriis summa qua præfulges & Virtute, & humanitate vindicare velis.

Eminentiæ Tuæ

Humiliſs. Addictiſs. & Obſequentiſs.
Michael Angelus Fardella.